



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus VII. De Institutionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

23. amens eaque valetudine sit, ut consensum suum exprimere non possit, vacantis beneficii collatio competet coadjutori; quia ex una collatio, licet donatio quaedam sit, non tamen merè voluntaria, sed necessaria est; ne solito diuturnior vacatio Ecclesiae afferat damnum & periculum animabus: ex altera verò parte, administratori voluntaria duntaxat, non etiam necessaria donatio est interdicta, *l. Alienationes 13. ff. Famil. hercisc. c. cit.* Joan. Andr. *n. 9.* Francus *n. 3.* & Fagnanus *in c. Ex parte 5. n. 4.* Unde

24. Satis expedita est Resolutio dubitationis, an perpetuus, sive cum futura successione & libera administratione Episcopo datus coadjutor ea, quae jurisdictionis spiritualis & temporalis sunt, exercere valeat eò, cui datus est, invito. Quantumvis enim hoc affirmandum primò intuitu videatur; cum propter amplitudinem potestatis exprimi solita in ejusmodi coadjutoriae Bulla: tum verò; quòd coadjutor dari etiam invito & contradicenti possit, ut ex communi DD. sensu notat Fagnanus *in c. Ex parte cit. n. 4.* locus tamen est insinuatæ distinctioni; vi cuius; cum Episcopus coadjutus omnino inhabilis, aut saltem, quae jurisdic-

tionis Episcopalis sunt, peragere omnia ipse non potest, aut non vult: coadjutor omnia, aut saltem ea, quae per se obire coadjutus non valet, aut non vult, peragere potest, quin ab ipso providè gesta valeant revocari. Casu autem, quò coadjutus, senio aut infirmitate non obstante, quibusdam fungi ipse vult & coadjutori se immiscere volenti non irrationabiliter contradicit, iste se ingerere, eaque peragere non valet; cum coadjuto affectetur, *c. Ex parte cit.* & detur in subsidium ipsius, jurisdictionem & administrationem habitu retinentis; ac proinde, si specialiter prohibitus non sit, & vult, exercere valentis. Unde, eò quaedam agere per se volente, coadjutorem se ingerere non permittit reverentia debita coadjuto, *can. Quia fratres, 7. q. 1.* Fagnanus *in c. Ex parte cit. n. 19.*

Neque refert; quòd coadjutor aliquando etiam invito detur; quia hoc ipsius potestatem non auget. Neque etiam Bullae amplitudo; quia generalia istius verba ad ea, quae coadjutori de Jure vel consuetudine competunt, restringenda, rectè monet idem Fagnanus *num. 24.*



TITULUS VII.

De Institutionibus.



Beneficiorum Ecclesiasticorum collationi liberae, ad *Rubr. de Præbend. & dignit.* explicatae, succedit clericorum ad illa

praesentatorum institutio: cuius nominis in Jure nostro non una vis & significatio est.

ARTIC.

ARTICULUS I.

De Institutione tituli
in beneficio Collativa.

SUMMARIUM.

1. Nomine Institutionis venit I. generaliter quacunque :
2. II. Facta liberè, &
3. III. Concessio beneficii, facta ad patroni præsentationem :
4. Sine qua præsentatus beneficium acceptare nequit.
5. Acceptandò tamen non amittit jus quæsitum per præsentationem.
6. Institutio præsentati Jure communi competit Episcopo :
7. Sede vacante Capitulo Cathedrali,
8. Et utriusque Vicario generali :
9. Jure speciali aliquando aliis Prelatis.
10. Nec non sequestro, & instituendi juris bona fidei possessori.
11. Ex privilegio Apostolico aliquando Abbatissa,
12. Et aliquando laici instituunt præsentatos.
13. Instituendi jus habens, si ipse præsentetur, neque à se,
14. Neque ab alio à se delegato :
15. Sed à superiore aliquo est instituendus.
16. Distinctio personarum inter dantem & accipientem specialiter exigitur in beneficiis.
17. Certum tempus Jure præfixum non est institutioni :
18. Quæ intra tempus patroni indulgentum ad præsentandum :
19. Quocunque etiam feriandò die,
20. Et extra instituenti territorium fieri potest,

21. Prævidè & publicè propositò Edictò :
22. Quod non expeſcitur in beneficii libera collatione :
23. Neque in præsentatorum institutionibus in Urbe Romana,
24. Et extra hanc in variis locis de consuetudine.
25. Et verisimiliùs etiam, spectato Jure communi.
26. Cùm præsentatio & institutio competit eidem, aliquando diverſis,
27. Et aliquando eòdem actu utraque expeditur.
28. Et ad faciliorem probationem scriptura adhibetur.

Primò enim Institutionis nomine, I. latè & genericè acceptò, quæcunque, cujuscunque Ecclesiæ, dignitatis vel beneficii Ecclesiastici vacantis legitima concessio venit : quò sensu, beneficium Ecclesiasticum licitè obtineri non posse sine Canonica institutione, Juris Regula 1. est in 6. quæ, sicut Beneficii nomine dignitates personatus & Ecclesiæ omnes cum cura & sine cura, quæ cum titulo habentur, secundùm Glossam in Reg. cit. V. Beneficium & Barboſ. ibid. 5. intelliguntur: sic Institutionis nomine quæcunq; tam libera quàm necessaria, hoc est, electione aut huic subsidiaria postulatione, nominatione vel præsentatione præcedente, facta eius concessio venit, ut in Reg. cit. notant Dynus n. 13. & Peckius num. 24.

Secundò strictè, sed minùs propriè, 2. pro collatione sive concessione beneficii omnino liberè facta clerico, nullum ad id ius habenti, Panormit. in c. Auctoritate 4. n. 8.

Tertiò propriè, pro concessione e. 3. iusdem facta ad patroni præsentationem, Panormit. in c. cit. n. 7. Lambertinus de

R 2

Jure

Jure Patronat. lib. 2. p. 3. q. 1. art. 5. n. 1. & *Vivianus similis Tract. lib. 12. cap. 1. n. 3.* Quò modò & in Rubricâ nostrâ sensu acceptâ Institutione clerico tributur ius in re, sive titulus beneficii: ad quod patroni præsentatione ius ad re duntaxat acquisivit: & licet, cum idoneus est, repelli à superiore non possit, titulum tamen & ius in re seu proprietatem beneficii ante Institutionem non consequitur, *arg. Reg. 1. cit.*

4. Imò, si absque hac id occupare & administrare præsumat, non solum eius plenum ius non acquirit, sed præsentatione quæsitum ipsò Jure amitti, cum *Franc. in c. Avaritia 5. de Elect. in 6. n. 2.* *Rocho de Curte de Jure Patronat. V. Honorificum, q. 39. n. 7.* *Garcia de Benef. p. 11. cap. 10. n. 216.* & aliis vult *Engel ad hanc Rubr. n. 2.* propter paritatem cum electo, prælaturæ administrationi se ingerere præsumente ante confirmationem: quem iure per electionem quæsitum ipsò factò excidere, voluit *Bonifacius VIII. c. Avaritia cit.* Sed paritas non est; cum plus damni Ecclesiis afferre possit ac tolear temeraria administratio electi quàm præsentati: & si paritas eademque ratio esset utriusque, nihilominus de electo loquens constitutio pœnalis ad præsentatum non esset extendenda, ut *arg. Reg. Odia 15. in 6.* Verisimiliter censet *Lessius Lib. 2. de J. & J. cap. 34. n. 16.*

6. Porro præsentati institutio post Papam Jure communi competit Episcopo, in cuius diocesi Ecclesia vel beneficium est situm, *c. Ex frequentibus 3. hinc c. Nobis 25. de Jure Patronat. & c. Cum ex injuncto 12. in fine, de Hereticis;* ut super illa Jure communi fundatam habeat intentionem ac præsumptionem: vi cuius in dubio super ea orto probandi onus in adversarium transfert, *Panormit. in c. Ex frequentibus cit. n. 2.* *Lambertin. cit. q. 2.*

art. 5. n. 3. & *Gonzalez in Reg. 8. Provis. §. 1. n. 21.*

Ad quem Episcopum pertineat institutio clerici in Ecclesia, in duarum diocesium confinibus sita, dubium & variæ DD. sententiæ sunt. Et quidem, si fundi, in quo illa constructa est, pars aliqua unius, alia alterius diocesis sit, institutionem aliqui Episcopo, in cuius territorio Ecclesiæ caput seu pars principalis, *arg. l. cum in diversis 44. ff. de Relig. & sumpt. fun.* alii illi adstruunt, in cuius diocesi sita est porta principalis, *arg. l. Præditi 9. l. 5. ff. de Legat. 3.* Si autem limitaneus & dubius sit fundus totus, præsentatos in Ecclesia instituendi ius utrique commune quidam censent, *arg. §. Insula 22. Instit. de Rer. divis. ac proinde Episcopos, vel ad præsentatorum institutionem faciendam vicibus alterius, arg. Clement. Plures, de Jure Patronat. vel ad controversiam alia ratione terminandam compellendos. Alii, cui ex Episcopo, vel an Archiepiscopo utriusque superiori, vel Papæ clericos in ea instituendos præsentare velint, patronorum arbitrio relinquunt, apud *citt. Lambertin. Lib. 5. p. 2. q. 4. art. 6.* *Vivian. Lib. 5. cap. 8. n. 9.* & *Barbosam de Offic. Episc. alleg. 72. n. 150.* Quibus Opinionibus in praxi locus tum demum erit, si neuter Episcopus sit in iuris instituendi quasi possessione; cum in pari causa conditionem possidentis meliorem esse, certi patenter & noti Juris sit *Regula 171. ff. §. 65. in 6.**

Sede Episcopali vacante præsentatos instituendi potestas Episcopo competens residet penes Capitulum: quantumvis ei non competat libera collatio beneficiorum, ex decisione *Bonifacii VIII. c. 1. in 6.* cuius ea ratio est; quòd institutio sit concessio beneficii non libera, sed necessaria, sive præsentato idoneo ex Jussu debita;

debita; ac proinde eâ factâ donationem seu liberalitatem exercendi facultas non auferatur successoribus in prælatura. In iis autem, quæ Necessitatis & Justitiæ sunt, Episcopo Capitulum succedat, *c. Hisque* 11. *Et c. Cum olim* 14. *de Major. & Ob.* Panormic. l. cit. n. 8. *citt.* Lambertin. p. 3. q. 1. art. 7. n. 1. *Garcias* p. 5. cap. 7. n. 51. & *Vivianus* cap. 2. n. 10. Unde

8. Eadem potestas sine speciali mandato etiam competit Vicario generali Episcopi, & Capituli sede vacante, *c. Ex frequentibus* cit. ibi, *Vel Officialium suorum, qui hoc de Jure possunt*, & *arg. c. sim. de Offic. Vicar. in 6.* ubi, cum ei ex ratione, quod donare non valeat, libera collatio negatur, præsentati institutio, tanquam non libera sed necessaria concessio, non obcurè adstruitur, *citt.* Panormit. in *c. Ex frequentibus* cit. n. 7. Lambertin. art. 6. n. 1. & *Vivian.* cap. 2. n. 4.

9. Prælatibus inferioribus, etiam Regularibus, clericos præsentatos instituendi jus aliquando competit non tantum in Ecclesiis, ipsis plenissimè jure subjectis, *Clement. Unic. de Excess. Prælat.* in quibus obtinent jurisdictionem quasi Episcopalem: sed etiam subjectis Episcopo aliquando ex privilegio, ut est Juris explorati; cum ita competere etiâ laicis possit, *Zabarell. in c. Nobis* cit. §. *Ceterum* q. 6. & *Vivian. cit. Lib. 12. cap. 3. n. 11.* aliquando ex consuetudine vel potius præscriptione, *c. Auditi* 15. *Et c. Cum olim* 18. *de Præscripte.* aliquando ex antiqua fundatione; quod in istius limine à fundatore cum Episcopi consensu apposita sit conditio; ut ad Ecclesiam vel beneficium à se fundatum præsentatos instituendi jus ad inferiorem, *vg. Monasterii Prælatum aut Studiorum Universitatem Ecclesiasticam* pertineat, *arg. l. In institutionibus* 48. ff.

de Palli, *citt.* Lambert. art. 10. n. 4. & *Vivianus* cap. 3. n. 8. *Antiqua*, inquam; quia hodie ex Decreto S. Synodi Trident. *Sess. 14. cap. 12. de Ref.* præsentati institutio Episcopo, non alicui inferiori, reservanda est. Idem *Vivian.* n. 9. & *Pirrhing ad hanc Rubr.* n. 6.

10. Quin, si prælatura vel dignitas, ratione cujus præsentati institutio competit, ex causa litis super ea inter aliquos pendens, sequestretur, juxta *Clement. Unic. de Sequest. fruct. & poss.* sicut cæterorum illi annexorum, licet etiam instituendi juris exercitium competeret sequestro, per tradita *ad Rubr. cit. n. 19.* uti & ejusmodi dignitatis bonæ fidei possessori, ut de eligendi jure *Lib. 1. tit. 6. à n. 54.* est dictum.

11. Dubium est, an præsentatos instituere valeant Abbatis & similes monialium Præpositæ. Ratio dubitandi est; quia institutio est actus jurisdictionis Spiritualis: cujus femina non est capax; cum pertineat ad potestatem Clavium, *c. sim. de Excess. prælat.* in feminam non cadentem, *c. Nova* 10. *de Penit. & remiss.* At, licet hoc ita sit, & internum sive Pœnitentiale forum spectans jurisdictionis in feminam, utpote sacræ Ordinationis, quam illa præsupponit, divinè Jure incapax non cadat, *c. cit. ut Lib. 1. tit. 11. n. 45.* est dictum, privilegio tamen Apostolico & prælatorum Ecclesiasticorum commissione feminis aliquando communicatur exercitium nonnullorum actuum Spiritualis jurisdictionis externæ *c. Dilecta* 12. *de Majoris. & Ob.* præsertim voluntariæ; ut clericos ad parochias, sibi pleno jure subjectas, præsentatos instituere possint, ut cum *Sylvestro V. Abbatis* q. 2. & *Azor* p. 1. *Instit. Lib. 13. cap. 10. q. 6.* notat *Laiman* in *c. Dilecta* cit. n. 1.

12. Dubium secundo est, an institutio

R 3

compe-

competere valeat laicis. Non posse communi Jure: & contra Apostolicò privilegiò posse, exploratum est. Prius quidem, propter juris instituendi spiritualitatem. Posteriori verò propter paritatem cum jure beneficia liberè conferendi, quod non minùs spirituale est, & ejusmodi privilegiò laicis competere potest, juxta dicta tit. 5. n. 41. Consuetudine autem seu præscriptione etiam tanti temporis, cujus initii memoria non existit, sicut conferendi, juxta dicta *ibidem*, sic & instituendi jus laicis competere nequit, propter incapacitatem Juridicæ possessionis hujusmodi jurium, seclusò privilegiò in laicos non cadentis, arg. c. *Causam 7. de Præscript.* Quò tamen non obstante, laici, qui præsentatos in una vel pluribus Ecclesiis instituendi jus immemoriali tempore, cum fama sive existimatione privilegii aliquando obtenti concurrente, exercuerunt, id porro exercere possunt, ob præsumptionem justitituli sive privilegii à majoribus suis aliquando obtenti, ex tanti temporis cursu cum publica fama concurrente ortam, ita tamen; ut, si quando privilegium nunquam obtentum aut invalidum esse, legitimè constaret, juris illius exercitium prosequi illasà conscientia non possent; quòd careant verò titulò privilegii, & illius, quà solà defendebantur, præsumptio veritati compertà cesset ac cessarit, Panormit. in c. *Causam cit. n. 8.* Felin. in c. *Cum ex officio 16. de Præscript. n. 13.* Laiman. in c. *Causam cit. n. 6.* & Pirrhing *ad Rubr. de Præscript. n. 44. in fine.* Vide tradita *Lib. 1. tit. 4. à n. 47.*

13. Dubium tertio est de institutione ejus, cui aliàs competit institutio, si ad beneficium ipse præsentetur. Quæ cui competat, dubitandi ratio solennis est; quia talis institui nequit à seipso, c. *fin.*

cujus ratio hòc textu redditur; quod *Instituentem & recipientem debeat esse distinctio personalis*: ob quam seipsum, quantumcunque idoneus sit & quibuscunque studiis ac meritis adjuvetur, eligere vel præsentare nemo potest, *can. In scripturis. 8. q. 1. & c. Per nostras 26. de Jure patronat.* Neque etiam institui potest ab aliquo, à se delegato; cum enim delegatus non propriò, sed alienò delegantis seu mandantis nomine instituat, *l. 1. ff. De eo, cui mand. est jurisd.* delegans institutus à delegato, institutus conferetur à seipso; nam, *Qui facti per alium, perinde est, ac si facti per seipsum*, Regula est *72. in 6.* Neque etiam institui potest ab alio; quia, ut *cit. c. fin.* dicitur, alius conferendi jus, quod ipsi competit, non habet. Quæ ratio apud Interpp. ac DD. tantum potuit; ut magnò consensu tali casu provisione recurrentum statuerent ad Episcopum, vel ad Papam istiusque à latere Legatum, Jure communi in beneficiorum collatione cum Episcopo concurrentem, c. 1. *Si. Præsentis 3. de Offic. Legati in 6.* Nisi præsentatus influendi potestatem sibi competentem totam transferre malit in alium; à quo ita propriò, & non ipsius præsentati nomine institui possit, Barboza in c. *fin. cit. n. 3.*

Verùm, etsi doctrina hæc consentanea Juri & retinenda sit, ratio tamen, quæ ad eam excogitandam DD. impulit, ex duplici capite difficilis est. Imprimis quidem; quia, licet Contentiosa & Coactivæ jurisdictionis exercitium personarum distinctionem exigat: inter exercentem tamen, & eum, in quem exercetur, ejusmodi distinctionem Voluntaria jurisdictio non requirit; cum quis emancipari & in adoptionem dari apud semetipsum possit, *l. Si consul. 3. ff. de Adopi.*

Adopt. & Episcopus atque alii dispensandi potestate præditi in omnibus casibus, in quibus cum aliis, etiam secum dispensare valeant, ex doctrina Felin. in *c. Præterea 2. de Sponsal. n. 20.* Suarez *Lib. 6. de LL. cap. 12. n. 8.* & aliorum, quam Cardd declaratione firmat Pontius *Lib. 8. de Matr. cap. 4. n. 9.* deinde; quia, cum Papa absolvi valeat à confessorio, cui jurisdictionem ipse commisit, nihil impedit, quò minus clericus, ad beneficium præsentatus, institui valeat ab alio, cui instituendi potestatem ipse delegavit.

16. Harum tamen objectionum neutra pro communi doctrina allatam rationem convellit. Prior; quia, licet in cæteris Voluntariæ jurisdictionis actibus personarum distinctio necessaria non sit, eam tamen, ex dispositione & ratione Juris specialis, dignitatum & beneficiorum Ecclesiasticorum institutio & cætera provisio requirit; ut ab ea ambitio, quam procul potest, removeatur; cum, ut *c. Per nostras cit.* Innocentius III. ait, *Nullus ingerere se debeat Ecclesiasticæ prælationis officiis*; & ubi de proprio commodo, præsertim ex rebus Ecclesiasticis percipiendis, agitur, ad evitandas fraudes authorem quem sibi fieri, Jura non patiantur, *arg. l. 1. l. Pupillus 5. §. 2. ff. de Auth. Tut. & Clement. 2. de Reb. Eccles. alien.* Pontius *cit. n. 9.* & Gonzalez in *c. fin. cit. n. 2.* Posterior; quia quilibet sacerdos vi suæ Ordinationis accipit potestatem nomine Dei absolventi quoscunque fideles, peccata sua Sacramentali judicio sponte submittentibus sub conditione, *Si Ecclesia permiserit*; ac proinde etiam summum Pontificem, si peccata sua ipsi fuerit confessus, ut non obicere delumitur ex illo, *Accipere spiritum sanctum, quorum remisit peccata remissentur eis*, Joau. *cap. 20. v.*

23. & cum Amico *Tom. 8. disp. 15. §. 2. n. 10.* Dicastillo *de Sacrament. Pœnit. disp. 10. n. 94.* & aliis docent Diana *p. 8. Tract. 1. resol. 84. §. Sed mihi*, & Haunold. *Theolog. Tract. 4. n. 1024.* juxta quorum sententiam Papa à sacerdote per potestatem à Christo Domino acceptam absolvitur ex suppositione; quòd ipsius potestati voluntariè se submittat, ut in *c. fin.* etiam Panormit. *n. 6.* observat.

Neque refert; quòd talis sacerdotis in pœnitentem jurisdictione ab ipso Papa omnino completa & delegata sit, cum; quia nihilominus iste non suo, sed Christi nomine absolvitur: tum verò; quia jurisdictione illa, cum non nisi in volentem exerceatur, non Necessaria, sed Voluntaria est, juxta dicta *Lib. 1. Tit. 32. n. 4.* Quæ cur in foro interno à delegato in delegantem exerceri nequeat, non apparet, postquam eam in foro externo in seipsum exerceri posse est dictum, S. Thomas in *4. dist. 19. q. 1. art. 3. q. 2.* & aliis DD. relatis Suarez *de Pœnit. disp. 27. §. 2.*

Institutio clerici, cuicumque competat, fieri ab eo nequit ante sibi factam illius præsentationem, *arg. c. Illud 8. de Jure patronat.* Iste autem facta ad ipsam, sicut etiam ad electi confirmationem, certum tempus Jure constitutum non est, ut plerique advertunt: est illud isto definitum sit ad præsentationem, *c. Cum propter 27. de Jure patronat. §. c. Unico, §. Verum, eodem Tit. in 6. ad electionem, c. Ne pro defectu 41. de Elect.* & ad collationem, *c. Nulla 2. de Concess. præbend.* cujus ratio est partim; quòd, cum electio & fere etiam præsentatio de uno tantum sit, examen de ejus idoneitate non multum temporis requirat: partim; ne beneficia nimis diu vacent; cum, si ad præsentati institutionem sex menses concederentur, illorum

17.

illorum vacatio saepe annua foret, Panormit. *in c. Nulla cit. n. 12. §. 13.* Garcias *de Benefic. p. 10. cap. 4. n. 1.* & Barbosa *cit. alleg. 72. n. 19.* ubi salubriter movent, institutionem differenti à superiore prærigendum certum v.g. duorum mensium terminum, intra quem illam facere compellatur. Si verò, cessante legitimo impedimento, ultra hoc tempus differretur, pro ea obtinenda Episcopum: aut, si iste negligens sit, Metropolitanum vel Papam adiri posse, ut etiam observat Vivianus *cit. Lib. 12. cap. 5. n. 15.* Ubi

18. Dubium est, an præsentati institutio fieri queat intra quatuor vel sex menses, à Jure indultus ad præsentandum; illam enim ante hujusmodi termini lapsum non faciendam, indiscriminatim asserit Palao *Trat. 13. disp. 3. p. 4. n. 10.* ne festinatà & illius lapsum antevercente præsentati institutione præjudicium generetur patrono non solum laico, cui adimeretur facultas variandi: sed Ecclesiastico quoque vero, intra sex menses & post præsentationem sub illorum initium ab alio attentatam fortassis primum apparenti, sequæ præsentandi juris proprietarium aut saltem possessorem esse; atque idcirco, ab alio facta præsentatione juri suo derogatum, prætendenti & ostendenti. Sed contraria est praxis plurium Germaniæ dicecesium: quarum Ordinarii ad excludenda incommoda, quibus obnoxia est diutina vacatio Ecclesiarum, ad has præsentatos, si idonei reperti fuerint, non raro instituunt, quatuor aut sex mensium lapsu non expectatò, saltem si liqueat de jure præsentantis, & de variandi sive ante præsentato alium addendi animo non constet. Quò observatò dicta praxis non præjudicat patronis: nec divertit à Jure, cum; quia hoc à patrono præsentati idonei institutio-

nem, intra quatuor aut sex mensium terminum factam, nusquam irritat aut improbat: tum verò; quia id variationem patrono laico solum adstruit, si primò præsentatus nondum fuerit admittus, *c. Quod autem §. pr. de Jure patronat.* utique intra terminum, Jure indultum ad præsentandum; cum istò lapsò variationi seu novæ alterius præsentationi locus amplius non sit: etiamsi primò præsentatus necdum sit admittus & in beneficio institutus.

Eadem institutio, tam mortuò quàm superstitè patronò, die quocunque, etiam feriatò, & extra dicecesim vel territorium instituentis fieri potest; cum sit actus extrajudicialis, Franc. *in c. fin. de Elect. n. 9.* Gonzalez *ad Reg. 8. gloss. 62. n. 9. §. cit.* Garcias *p. 5. cap. 8. n. 142.* cuius exercitiò, cum sine strepitu & figura iudicii peragatur, aliena iurisdicò & territorium non violatur: nisi orta sit inter patronos vel plures præsentatos lis: præviàque plenà causæ cognitione ac pronuntiatione iudiciali super præsentandi jure aut valore præsentationis, ad institutionem procedatur; cum ita eam neque debus feriatis, neque extra proprium instituentis territorium fieri posse, liquidi Juris sit, *l. Omnes §. C. §. c. fin. de Feriis, l. fin. ff. de Jurisdic. §. c. fin. de Constitut. in 6.* Panormi *in c. Novit 7. de Offic. legat. n. 4.* Rochus *de Jure patronat. V. Competens 9. 34.* & Barbosa *de Offic. Episcop. alleg. 72. n. 195.*

Porro, clerici ad beneficium præsentatione acceptatà, proponendæ & institutioni præmittendæ sunt literæ Edictales sive Edictum, quò ad Ecclesiæ valvas aliòve consuetò locò publicè affixò generaliter omnes, quorum interest: vel, si contradictor unus vel plures appareant, ii specialiter & nominatim citentur ac

vocentur.

vocentur; ut intra competentem ipsóque Edictó expressum terminum peremptorium compareant & , quæ faciendæ præsentati institutioni tanquam juri suo adversantí opponenda censuerint, deducant, ex Constitutione Bonifacii VIII. *c. fin. de Elect. in 6.* quò textu, licet sermo sit de electionis confirmatione, ejus tamen dispositionem ad præsentati institutionem porrigi, cum Glossa *V. Electione*, Franco *n. 5.* & Interpp. aliis moment *citt.* Rochus *V. Honorificum q. 38. n. 69.* Lambertin. *Lib. 2. de jure patronat. p. 2. q. 6. art. 2. § 4.* & Garcias *p. 9. cap. 4. n. 1.* quòd ratio; ne supplantentur & excludantur ii, qui pro suo interesse aliquid objicere volunt, æquè afficiat præsentatorum institutiones, quàm electorum confirmationes & admissiones postulatarum; ut adeò, sicut hæc, sic & ad beneficia præsentatorum institutiones nullò Edictó propositò, vel ante termini istò præfixi lapsum factæ, cum DD. *citt.* pro irritis habeantur à Lotterio *Lib. 2. de Benef. q. 13. à n. 20.* Corrado *citt. Lib. 4. cap. 3. n. 20.* & Pirrhing *ad Rubr. de Elect. n. 322. not. 3.* iis verò, quæ præviò Edictó lapsóque istius terminò factæ sunt, ea vis & firmitas adstruatur; ut verus ac legitimus patronus, postea comparens & jus suum volens deducere, pro ea vice non ampliùs audiatur, saltè si Edictum non ignoravit: & , cum id propositum sciret, quò minùs antè compareret, legitimè non fuit impeditus, *citt.* Garcias *n. 14.* Lotter. *n. 50.* & Corrad. *n. 31.*

22. Ejus tamen Edicti necessitas non est Primò in beneficiorum libera collatione, Gloss. *fin. in c. fin. cit.* quia alia istius ratio est, quàm electionis & præsentationis; cum his ad rem duntaxat jus tribuatur: atque inter eas & confirmationem atque institutionem, uti & inter postu-

lationem & istius admissionem detur medium, intra quod Edictum proponatur: non etiam in collatione; quia istà plenum jus in re sive ipse beneficii titulus acquiritur proviso; ut Edictum, si expolceretur, necessariò proponendum esset ante omne, vel post plenum jus proviso acquisitum: quorum casuum neutrò Edictum exposcitur *c. fin. cit.* ut *ibi* cum Geminiano *n. 18.* & Viviano *in fine* advertit laudatus Pirrhing *not. 3.*

23. Secundò in Urbe, in qua præsentatos sine præviò Edictó à Papa institui, cum Lambertino *citt. q. 6. art. 3. n. 4.* notat Barbosa *in c. fin. cit. n. 4.* quia in institutione Apostolica cessat ratio, considerata *c. cit.* ipsáque summi Pontificis præsentia & certa scientia suspicionem omnem purgat; ut necesse non sit, observari subtilitates Juris; cum Papa sit supra Jus, & *Si ergo V. Si ita* post *can. fin. 25. q. 1. c. Proposuit 4. de Concess. præbend. § 1. Princeps 31. ff. de LL.* omnèsque istius subtilitates suâ suppleat autoritate, *arg. l. Omnium 19. C. de Testament. Corradus cit. cap. 3. n. 24.* cum *n. 22.* cum Lotter. *citt. q. 13. n. 31.* monuisset, ad Edictum proponendum etiam non adstringi Executores literarum Apostolicarum, etiam datarum cum clausula, *Verificatò imprimis & ante omnia jure patronatús*: sed sufficere, si coram eis jus patronatús simpliciter verificetur, secundum decretum Tridentini *Sess. 22. cap. 9. de Reformat.* non attentà solemnitate præscriptá *c. fin. cit.*

24. Tertio in diocæsis, in quibus Edicti usus vel nunquam introductus vel non-usu seu legitimè præscriptus & *c. fin. cit.* contrarià consuetudine est abrogatus; cum ista, sicut aliis Juribus merè humanis, sic & *c. cit.* dispositioni potuerit prævalere, *c. fin. de Consuetud. § 1. De quibus 32. ff. de LL. citt.* Lambertin. *q. 6. art. 2.*

6. art. 14. Garcias à n. 10. & Barbosa n. 10.

25. Quin, Juri quoque inhaerendò, & abstrahendò à communi DD. interpretatione, c. *fm. cit.* dispositione præsentati institutionem non comprehendendi, censuit Bellamera *decis. 619.* & verisimile est: neque id solum; quòd c. *cit.* textu ulla istius mentio non fiat, sed etiam; quòd magis præjudiciosa sive periculosa animabus & Ecclesiis damnosa sit festinata confirmatio electi, quàm institutio ad simplex aut etiam parochiale beneficium præsentati; atque idcirco majori ad illam, quàm ad hanc solennitate & circumspeditione sit procedendum. Ex qua ratione cum c. *Avaritia cit.* relata ejusdem Papæ Constitutio ab electis ad præsentatos, administrationi temere se ingerentes, porrecta non sit n. 5. præsentati institutionem etiam non afficiet irritans atque idcirco odiosa Constitutio, relata c. *fm. cit.* Quâ consideratione, sicut quarundam diocesium ad beneficia præsentatos sine Edicto instituentium praxis à Juris derogatione correctioneque absolvitur: sic, ubi viget, omnino retinenda est aliarum, illud expositum & institutioni præmittentium, communi DD. sensui & interpretationi consentanea &, ad fraudes aliâque incommoda ab institutionibus removenda, salubriter introducta Consuetudo.

26. Superest dubium duplex. Primum de modo faciendæ institutionis, quando ea simul & præsentatio competit eidem: à quo illa & hæc aliquando unicò, aliquando diversis actibus expedienda est pro diversitate casuum & titulorum, ex quibus utraque competit eidem; cum, si institutio ei ratione Ecclesiæ seu dignitatis vg. Episcopalis: præsentatio verò ratione proprii patrimonii vel donationis juris patronatus ipsius persone facta,

vel ratione alterius, quàm obtinet, dignitatis vg. Abbatialis, vel ratione compromissi in eum facti à duobus vel pluribus compatronis competat, aliò actu faciendâ sit institutio, & aliò huic præsentatio; imò hanc per procuratorem fieri consultum, arg. c. *A collatione n. de Appellat. in 6.* censent Barbosa *cit. alleg. 72. n. 195.* & Corradus *Lib. 4. Prax. Benef. cap. 7. n. 20.* idemque observandum DD. *cit.* velint, si Episcopus habeat compatronum, vel in præsentatione requirendum sit alterius consilium vel consensus. Contrà utraque unico actu expedienda erit, si præsentatio & institutio competat ratione ejusdem Ecclesiæ vel dignitatis, sicut contingit, quando jus patronatus à laicis in Ecclesiam perpetuò est translatum; quòd ita præsentandi & instituendi jura quodammodo consolidentur, & beneficium evadat liberum seu collativum; ut &, si beneficium ad Episcopum devolutum sit ob negligentiam patroni; quòd, cum hoc etiam casu beneficium, perinde ut collativum, liberè conferatur, utramque præsentandi & instituendi potestatem unicò actu expediri expediat; ut Ecclesiæ de rectore vel beneficiario citius provideatur. Ita DD. *cit.* cum Lambertino *Lib. 2. p. 3. q. 2. art. 19.*

Alterum dubium est, an ad institutionem necessaria sit scriptura. Regula est, hanc ad substantiam & valorem actus non exigi, præterquam in casibus communi vel speciali Jure expressis, l. *Passum 17. C. de Pactis*, Panormit. *in c. 1. De his, quæ à pralat. n. 4.* Redoan. *de Reb. Eccles. non alien. Rubr. 29. n. 1.* & Molina *Treat. 2. de I. & I. disp. 468. n. 7.* cui inhaerendò statuendum est, scripturam minimè necessariam ad valorem institutionis; quòd id ullò Jure expressum non reperitur; & præsentatus verò etiam

hò etiam facta institutione beneficii titulum consequatur, Laiman in c. Nôssi 9. de Elect. n. 4. Quamvis Curiarum Ecclesiasticarum stylò seu praxi, sicut in provisionibus aliis, sic etiam in presentatorum institutionibus scriptura adhiberi solet: idque expediat, ferèque necessarium sit ad faciliorem tituli probationem, Riccius Collect. decis. 240. cit. Vivianus Lib. 13. cap. 1. n. 5. & Corradus cit. Lib. 4. cap. 7. n. 22. varias institutionum formulas subjicientes.

ARTICULUS II.

De Institutione Autorizabili.

SUMMARIUM.

29. Ista in beneficio curato institutio committitur cura animarum,
 30. De Jure ab Episcopis:
 31. Ex privilegio etiam ab inferioribus Prælatiis:
 32. Quibus Institutio Autorizabilis olim etiam præscriptione,
 33. Quadragenaria titulo munita, vel immemoriali competere potuit.
 34. Hodie verò eis non competit viâ præscriptionis.
 35. Neque institutio, tam Autorizabilis,
 36. Quam Collativa tituli à fundatore reservatur:
 37. Nisi de consensu Episcopi in limine foundationis.
 39. Quartò Institutionis nomen aliquando denotat approbationem pro exercenda cura animarum: quæ Autorizabilis à DD. vocatur; quòd eâ clerico, ad cu-

ratur beneficium promotò, committatur cura animarum, per Sacramentorum administrationem exercenda, c. Cum satis 4. de Offic. Archid. Quæ commissio per se vel alios ab Episcopis in ejusmodi beneficiis, ad suam collationem vel institutionem pertinentibus, fere in ipsa collatione seu collativa institutione: in iis autem, quæ speciali jure ad aliorum collationem spectant, post hanc jam factam, præviò examine de idoneitate, & ad animarum curam præsertim in foro Pœnitentiæ exercendam approbatione, fieri solet & ad eò necessaria est; ut sine ea Sacramenta nequeant administrari, & pœnitentiæ absolutiones invalidæ sint.

Dixi, Ab Episcopis, super hujusmodi institutione intentionem fundatam habentibus in Jure communi, c. cit. vel ab aliis prælatiis, in certi territorii clericum ac populum obtinentibus jurisdictionem quasi Episcopalem, sed èque Episcopali vacante à Capitulo, Felin. in c. Auditis 15. de Prescript. n. 8. istiusque & Episcopi Vicario in spiritualibus generali, Barbosa de Offic. Episc. alleg. 72. à n. 175.

Prælatiis etiam inferioribus institutionem hanc privilegio Apostolico competere posse, nemo est, qui inficias eat. An etiam consuetudine vel potius præscriptione, dubium & dissensio quædam est: cui ansam præbuit c. Cum satis cit. relatum Alexandri III. ad Archidiaconum Eliensem, animarum curam sine Episcopi sui licentia & mandato propria autoritate committere præsumentem, rescriptum: Quoniam obtentu alicujus consuetudinis non debes contra sanctorum PP. institutiones venire, & quòd ad eum non spectat officium, tibi vendicare, ideo mandamus, ut nemini de cetero sine licentia & mandato Episcopi curam animarum committere præsumas. Quibus verbis

verbis consuetudinem duntaxat legitime non præscriptam, Glossa *ibi V. Consuetudinis*: legitime etiam bonæque fide præscriptam seu quadragenariam, titulo tamen non munitam; non isto nixam quoque aut immemorabilem, Panormit. *in c. Auditis cit. n. 6.* & Felin. *cit. n. 8.* demum generatim consuetudinem ac præscriptionem quamcumque reprobari, volunt *in c. Cum satis cit.* Barbola *n. 3.* & Gonzalez *n. 5.*

In hoc Interpp. diffidio, divinatio Glossæ intellectu relicto, reliquarum expositionum utrique aliquid tribuendum, & statuendum discrimen est inter antiquum *c. Cum satis cit.* & novissimum Jus S. Synodi Tridentinæ *Sess. 7. cap. 13. de Reformat.*

32. Illò enim, sive antiquò Jure spectatò, expositionum illarum tenenda prior: ut *c. cit.* neque legitime non præscripta duntaxat, neque etiam consuetudo & præscriptio indiscriminatim omnis, sed longi duntaxat & longissimi etiam temporis aliò adminiculo non adjuta: non etiam quadragenaria suffulta titulo, atque immemoralis ab Alexandro III. reprobata intelligatur, ut cum Panormit. & Felino *l. cit.* ab iisque relatis Interpp. aliis docent Balbus *de Præscript. pr. p. 5. p. 1. q. 11. n. 6.* & Gilcken *Similis Tract. p. 3. cap. 10. n. 10.* Ratio est partim; quia institutio autorizabilis sive commissio curæ animarum non Ordinis, sed jurisdictionis Episcopalis est actus; cum Episcopali sede vacante transeat ad Capitulum: & de licentia vel mandato Episcopi ab Archidiacono & Vicario generali fieri queat, *c. Cum satis cit.* ea autem, quæ jurisdictionis sunt, adversus Episcopum præscribi valeant quadraginta annis, *c. Auditis cit. & c. Cum olim 17. de Præscript.* non quidem sine alio adminiculo, propter resistantiam Juris,

illam Episcopo adstuentis, *c. cit.* sed suffulta titulo vel, hoc deficiente, tanto tempore, cujus initii memoria non existit *c. 1. de Præscript. in 6.* partim verò; quia institutio illa acquiri potest privilegio Apostolico, cujus vim habet consuetudo ac præscriptio tanti temporis, cujus initii memoria non existit *c. Super quibusdam 25. §. Præterea de V. S. & l. Hoc jure 3. §. 4. ff. de Aqua quætid. & ast. per tradita Lib. 1. tit. 4. n. 47.*

Neque obstat; quòd præscriptio & consuetudo, institutionem autorizabilem ab Episcopo independentem conferens *c. Cum satis cit.* reproberetur; quia illius reprobatio generalis non afficit immemorabilem; quòd hæc majori vi poleat, & privilegio ex certa scientia à Principe concessio æquiparetur, Panormit. *in c. fin. de Præscript. n. 35.* Covarruvias *Lib. 3. Var. cap. 13. n. 4.* & Laiman *Lib. 1. tract. 4. cap. 24. n. 7.*

Istò autem, sive novissimò Jure, licet deducta *c. cit.* expositio hodie quoque in beneficiis curatis, præscriptionis aut alià vià ab Episcopali jurisdictione omnino exemptis & immediatè subjectis aliis prælatis jurisdictionem quasi-Episcopalem obtinentibus, procedat: locus tamen ei non est in iis, quæ Episcopo saltem quoad spiritualia subiant; quòd hodie ad ejusmodi beneficia etiam prævis præsentatione, nominatione, imò & liberà collatione promovendos à locorum Ordinariis examinari & ad animarum curam approbari necesse sit, ex decreto Conciliari *cap. 13. cit.* non obstante quovis privilegio & consuetudine sive præscriptione etiam immemoralis, & appellationis remedio exclusò. Cujus decreti & à veteri Jure recessus justa & gravissima ratio fuit; quòd etiam hujusmodi consuetudo seu præscriptio ipsæque pri-

que privilegia, animarum curæ commiffionem ab Epifcopo independentem inferioribus adftruentia, cum tempore damnoſa Eccleſiis, periculofa animabus & publicè pernicioſa ceperint eſſe; ac proinde ea abrogari vel revocari fuerit neceſſe. Quare *c. cit.* noſtris temporibus accommodatus eſt intellectus Barboſæ & Gonzalez, illò reprobari aſſerentium confuetudinem ac præſcriptionem indifcriminatim omnem, vi cujus Archidiaconi iisque ſimiles in beneficiis curatis clericos ſine Epifcopi licentia vel ſpeciali aut generali mandato authorizabiliter inſtituendi jus ſibi vendicarent.

35. Dubium deinde eſt, an, ſi in capella vel beneficii curati fundatore adji- ciatur, ut clerici in eo inſtituendi appro- batio pro animarum cura iſtiuſque com- miſſio competat prælato inferiori, in eam ſe intromittere nihilominus valeat Epifcopus. Ratio dubitandi eſt; quòd, cum rerum ſuarum moderator & arbiter quiſque ſit, *l. In ve mandata 21. C. Mandati*, in earù traditione apponere valeat pacta, quæcunque vult, *l. In traditionibus 48. ff. de Pactis*. Verùm hoc exaudiendum de iis tantum pactis ſeu conditionibus eſt, quæ jus publicum non lædunt, *l. Jus publicum 38. ff. eadem Rubr.* cum privatus, ut fundator eſt, ſacrorum canonum diſpoſitionem immutare, & illis contrarium aliquid ſtatueri non poſſit, *c. Requiſiſti 15. V. Secus autem. c. Tua 17. de Teſtament. & l. Nemo 55. ff. de Legat. 1.* pactum autem ſeu conditio, ut anima- rum curæ commiſſio pro eaque perſonæ approbatio non Epifcopo, ſed prælato inferiori competat, apertè ſit contra SS. Canones, ejuſmodi commiſſionem & præviò examine faciendam approbatio- nem adſtruentes Epifcopo, & ſine iſtius licentia vel mandato inferiori non per- mittentes, *c. Cum ſatis & cap. 13. cit.*

Quare, ejuſmodi conditione perinde, ut ſi adjecta non ſit, rejectà, inſtitutionem in ejuſmodi beneficio Authorizabilem, ſive commiſſionem & approbationem illam ſibi vendicare Epifcopus poteſt ex di- ſpoſitione Juris & communi ſententia DD.

Quin etiam ſi, authorizabili intactà, 36. clerici ad beneficium præſentandi ſola inſtitutio collativa inferiori prælato in fundatione reſervata ſit, ab Epifcopo iſtam quoque ſibi vendicari poſſe, cum Fanor- mit. *in c. Nobis 25. de Jure Patron. n. 5.* & Rocho de Curte *de Jure patron. V. Pro eo quod q. 12. n. 25.* tradunt Covarruv. *in c. Tua cit. n. 8.* Gutierrez *in l. Nemo cit. n. 49.* & Barboſa *alleg. 72. cit. n. 187.* quòd etiam tituli collativa inſtitutio in beneficiis patronatis ſuæ diocæſis Epifcopo adſtruat *c. Ex frequentibus 3. hâc Rubr. c. Relatum 21. de Jure Patron. c. Cum ex injuncto 12. in fine. de Hereticis &c.* & inferioribus reſervari non permittatur à Trident. *ſeſſ. 14. cap. 12. & cap. 13. de Reformat.* atque idcirco illi etiam hujus- modi inſtitutio privati cujuſcunque, ſive inter vivos ſive per ultimam voluntatem diſponentis, factò nequeat auferri, *arg. V. §. Secus autem c. Tua & l. Nemo cit.*

Neque his adverſatur laudati Con- ciliî decretum alterum, adminiſtratores Eccleſiarum, hoſpitalium &c. ad ratios ſingulis annis Ordinario reddendas obligans, conſuetudinibus & privilegiis quibuſcunque non obſtantibus: *Niſi ſecus forte in inſtitutione & Ordinatione talis Eccleſiæ &c. expreſſè cautum eſſet;* quia decretum hoc procedit, quando in Eccleſiæ inſtitutione & ordinatione ſive ejus fundationis limine Epifcopus hujus- modi oneri ſive conditionis adjectioni conſenſit, ut obſervant *cit.* Gutierrez, *n. 450.* & Barboſa *n. 187.* ubi iſte in fundationis limine clericos ad beneficia præ- ſentandos

sentandos collativè instituendi jus refer-
vari cum Episcopi consensu posse, conce-
dit cum *cit. de Curte n. 25.* & Lambertino
de Jure Patron. Lib. 1. p. 1. q. 9. pr. art. 1. n. 55. & 99. de quo tamen
hodie quis meritò ambigat, propter *cap. 12. & 13. cit.*

ARTICULUS III.

De Investitura & Mis-
sione in Beneficii pos-
sionem.

SUMMARIUM.

38. Possessionem apprehendendi jus tri-
buit Investitura :
39. Non sola institutio Collativa :
40. Neque etiam Electio istiusque Con-
firmatio ;
41. Præsertim, si alius sit in beneficii
possessione :
42. Quà illum vi deficiens ipsò Jure
beneficiò privatur.
43. Beneficium, de Jure vacans, Ordina-
rius liberè confert alteri ;
44. Quem tamen in possessionem non in-
ducit, non citatò possessore,
45. Et sine prævia summaria causa co-
gnitione :
46. Tribus tamen casibus exceptis.
47. Beneficii possessio etiam per procu-
ratorem,
48. Speciale mandatum habentem ap-
prehenditur.
49. Et de Jure ab Episcopo,
50. Per Archidiaconum, & de Consue-
tudine per alios traditur,
51. Modis variis, pro locorum & bene-
ficiorum varietate.
52. Corporali apprehensione acquiritur
possessio beneficii,

53. *Reverimque & jurium beneficalium,*
54. *In quorum possessione alius non ex-*
istit.

55. *Possessio beneficii inducit presum-*
ptionem justitituli :

56. *Et aliquando ipsum titulum, si tri-*
enniò :

57. *Non etiam, si annò bonâ fide & pa-*
cificè suis continuata.

Quintò Institutionis nomine ali-
quando venit Investitura, quâ
clerico, postquam ab Episcopo
vel alio, ad quem id pertinet,
Institutionis seu confirmatoris & appro-
batoris literis beneficii titulum & jus in
re assecutus est, tribuitur jus apprehen-
dendi corporalem sive actualem ejus pos-
sionem, *Glossa in c. Auctoritate 4. v. Instituitur, ubi Panormit. n. 4. & Lai-*
man in c. Nôsti 9. de Elect. n. 5. Unde

Dubium oritur primò, an ergo be-
neficii, per canonicam institutionem jam
obtentis, possessio apprehendi à clerico
nequeat propriâ autoritate. Quâ in re
in utramque partem à DD. statuta & in
speciem pugnantis Regulæ in concor-
diam reducendæ sunt ope distinctionis
inter modos institutionis; cum, si ista à
Pralato, cum titulo possessionis traden-
dæ potestatem habente, non simpliciter,
sed signò aliquò investituram denotante,
vg. cum bireto, annulo, clavium tradi-
tione &c. facta sit, clerico non quidem
ipsius beneficii actualis possessio; quia
ista fere ipsius corporis apprehensionem
requirit, *arg. l. Prædia 4. ff. de Acquir.*
possess. Laiman cit. n. 5. sed eam va-
cantem propriâ autoritate apprehen-
dendi licentia data intelligatur, ut cum
Innocentio in *c. Ex literis 2. de Consue-*
tud. Panormit. in c. Auctoritate cit. n. 9.
& Lambertino *Lib. 2. de Jure patronat.*
p. 3. q. 11. art. 1. n. 5. docet Covarruv.
Lib. 3.

Lib. 3. Var. cap. 16. n. 7. si verò beneficii collatio in eove institutio simpliciter & sine ejusmodi signo facta sit, illius possessionem, etiam vacuum, propriâ auctoritate apprehendere institutus non possit. *Dynus in Reg. 1. in 6. n. 16.*

40. Neque, sic instituto aut aliter beneficii titulum consecuto apprehensionem possessionis propriâ auctoritate permitfam: itaque factam ab omni culpa pœnæque immunem esse, evincit; quòd *e. Transmissam 1. 5. de Elect.* post confirmationem & istâ obtentum prælaturæ titulum administratio & officii executio adstruat sine ulla mentione inductionis in possessionem; quia hujusmodi inductionis necessitas apertè supponitur, dum ea Archidiacono & Episcopo tribuitur, *e. Adhac 7. de Offic. Archidiacon. & c. Licet 28. de Prab. & dignit. in 6.* Quare, ut cum utroque hoc textu *e. Transmissam cit.* concilietur, ita exaudiendum est, ut eò administratio & officii executio permittatur confirmato, non quomodo cunque & simpliciter, sed cum signis denotantibus investituram: vel, servatis servandis, scilicet postquam in beneficii corporalem possessionem est missus; cum ad rei vel juris possessionem capiendam non sufficiat ejus dominium vel quasi sive proprietates illius, *arg. l. 1. & l. Quamvis 2. C. de Edit. D. Hadr. coll. Barbola in c. Transmissam cit. n. 4. ad finem.*

Neque etiam hujusmodi possessionis apprehensione non omnibus electis opus esse, rectè desumitur ex *c. Nihil. 44. de Elect.* cujus *q. Caterùm* in locis ultra Italiam sitis, v.g. in Germania ad Ecclesias sedi Apostolicæ immediatè subjectas in concordia electis plena administratio in spiritualibus & temporalibus, alienatione duntaxat exceptâ, permittitur, luculentò indicio, quasi possessionis prælaturæ ejusmodi electione jam acqui-

sitæ ante confirmationem; cum administrandi facultas fructus & effectus quidam sit possessionis, & ante hanc acceptâ administrationem non attentandam, moneat Panormit. *in c. cit. n. 11.* quia, ut Laiman *in c. cit. n. 11.* rectè observat; ejusmodi in concordia electis & nec dum confirmatis, propter necessitates & utilitates Ecclesiarum, à Papa dispensativè concessa prælaturæ possessio administratiòque non stabilis est, sed solummodo provisionalis, durans, donec electio Apostolicâ auctoritate fuerit confirmata: confirmatione autem acceptâ per investituram corroboratur ac stabilitur: vel, illâ non secutâ, malè electo aufertur.

Dubium secundò est de apprehensione possessionis beneficii non vacantis; quòd clericus, à quo id per renuntiationem à superiore acceptatam, vel per pacificam & fructiferam alterius beneficii incompatibilis assecutionem, vel per privationem ipsò Jure, vel per sententiam &c., inductam amissum est, non dimiserit ejus possessionem. Quâ talis ab instituto vel illius titulum aliter consecuto necessariò publicâ sive judicis auctoritate depellendus est, adeò; ut, si beneficium à clerico

in eo canonicè instituto auctoritate propriâ & violentiâ possessori illatâ occuparetur, in temeritatis pœnam ipso Jure & factò amitteretur beneficii titulus & omne jus, quod in beneficio vi occupato antè competebat, ex Constitutione Bonifacii VIII. *c. Eum qui 18. de Prabend. & dign. in 6.* Quam pœnâ in violentum beneficii occupatorem statuendi justa ratio fuit; quod assumere videatur partes judicis & spoliatoris beneficii, licet malâ fide possessi; ut locus sit *arg. l. Si quis in tantam 7. C. Unde vi, Franc. in c. cit. not. 2.* Rebuffus *pr. de Missi. in possess. n. 7.* Covarruv *cit. cap. 16. n. 6. & 7.* Menoch. *Recup. remed. g. n. 306.* Gonzalez *in Reg. §. gloss.*

§. gloss. 15. n. 58. & Barbosa in c. cit. n. 3. Secus esset, si beneficii possessionem auctoritate quidem propria, sed violentia non interveniente, accepisset; talis enim, licet poenam ipse quoque mereretur, ipsò tamen Jure beneficium non amisisset; quia ad amissionem beneficii ipso Jure & factò incurrendam exiguntur duo, scilicet neglectus auctoritatis seu officii judicis, & violentia possessori invito ac resistenti illata, Lotter. Lib. 3. de Benefic. q. 22. n. 29. quorum posterius in tali desideratur, Covarruv. cit. n. 7. §. Quod si.

- Dubium tertio est, an in beneficii, per renuntiationem, alterius incompatibilis assecutionem, privationem &c. quoad titulum amissi & de Jure vacantis, possessionem de eo provisus mitti valeat, ejus possessore non citatò. Qua de re percelebris est constitutio laudati Bonifacii Papæ c. Licet 28. de Prab. & dignit. in 6. rescribentis, Licet Episcopus beneficium, per alterius incompatibilis assecutionem vacans, possit alicui de Jure conferre, illum tamen, cui contulerit, non debebit re, possessore, non vocatò in possessionem ipsius inducere corporalem. Cujus Apostolicæ resolutionis pars prior sive; quòd tale beneficium liberè conferri valeat alteri, etiam desumitur ex c. Cum in cunctis 7. de Elect. cujus §. Cum verò, de beneficio electi, postquam is confirmationem & administrationem accepit, liberè disponendi facultas collatoribus adstruitur. Ratio est; quia regulariter is, qui rem alteri tribuendi ius habet, hoc iure uti, remque alteri conferre potest, non obstante alterius possessione vel deentione, arg. Regula, Qui potest in vitis alienare, multo magis & ignorantibus & absentibus potest, quæ est 28. in Pandectis, Glossa in c. Licet cit. V. Conferre & ibi Vivian. pr. Posterior verò pars, sive; quòd, antequam de beneficio de Jure so-

lùm vacante provisus in possessionem inducatur, vocandus sit illius possessor. patet arg. l. fin. C. Si per vim perturb. poss. quòd textu relata sanctione Imperiali cavetur; ne, possessore non vocatò & non contumaciter ablente, status possessionis etiam ex rescripto Principis vel iudicis interlocutione turbetur: sed negotii merita partium allegatione pandi iubentur. Ratio est; quia fortassis possessor allegare potest iustam causam retentionis beneficii, v.g. quòd secum super pluralitate, vel ad beneficii possessionem retinendam, do. nec receperit sumptus factos in illius meliorationem vel defensionem, fuerit dispensatum: vel; quòd necdum percipit fructus beneficii secundi, vel super illius titulo vel possessione sibi mota lis pendeat, Glossa fin in c. cit. ubi Laiman n. 3. & Pirrhing ad Rubr. de Prab. & dignit. n. 160. & Flamin. Lib. 11. de Resignat. q. n. 10. cum n. 9. monuisset, literis Apostolicis, quibus de beneficio, ob non factam publicationem aut aliter ipso Jure vacante, alicui providetur, apponi consuevisse clausulam, Vocatò possessore: qui vocandus seu citandus etiam esset, licet huiusmodi clausula non apponeretur: nisi aliud ipsis literis esset expressum.

Possessore autem citato & comparente in beneficii possessionem missioni, sine strepitu tamen & figura iudicii, pramittenda est summaria cognitio de beneficii collatione facta ei, qui in possessionem est inducendus: neque opus est, ut illam canonicam esse probetur; cum talis esse præsumatur. Neque ad missionem in possessionem impediendam admittenda est exceptio: nisi ea sit de crimine cum infamia coniuncto, vel de ob-vel subreptione collationis, vel de defectu canonici tituli aut alia similis, quæ vel sit manifesta vel in continenti valeat probari: cum enim missionem in beneficii possessionem

sionem non impediatur aut suspendatur ab eius provisione interposita quavis appellatio, c. *Constituis* 46. de *Appellat.* multo minus id quavis exceptio valebit, ut in 4. *Licet* cit. notant Lopus n. 4. Anchoran. not. 7. & Laiman n. 3. in *fine*.

46. Excipiendus tamen primò est casus, quò possessori beneficium retinendi ul- lum ius non competere, notorium est; quòd in notoriis Ordo Juris non requi- ratur, c. *Ad nostram* 21. de *Iurejurando* & *Clement. Paschalis* 2. de *Sent. & rejudic.* cit. Lopus n. 1. & Laiman n. 3. Secundò casus, quòd ante collationem benefi- cii factam alteri citatus possessor, & con- tra eum pravia cognitione pronuntia- tum fuit; tali enim iterum non citatò, provisum in beneficium possessionem mitti posse, cum Joan. Monach. in c. *cit.* n. 1. notat Laiman l. *cit.*. Tertio beneficia ipsò Jure amissa ab offendentibus S. R. E. Cardinalem; illis enim non vocatis ii, ad quos pertinet, de beneficiis disponere & provisum in possessionem mitti specialiter permittuntur ob criminis perpetrati atrocitatem, Glossa in c. *Felicitis* 5. V. *Dis- sponant*, de *Penis* in 6. & *Flamin.* cit. q. 10. n. 24.

47. Dubium quartò est, an beneficium possessio apprehendi possit per procura- torem. Possit, docet quotidiana praxis, & obvia ratio est; cum enim per hunc acceptari valeat ipsa beneficium collatio, multò magis apprehendi poterit eius pos- sessio; quia ista sola rei detentio, non ipsum illius ius, ut collatione, acquiritur, cit. *Covarruv. n. 9.* & *Flamin. Lib. 10. q. 6. n. 9.* Quod, sicut certum de pro- curatore, habente mandatum speciale, sic dubium est, an hoc sit necessarium, vel sufficiat mandatum generale: quòd suffi- cere, cum cit. *Covarruv.* existimat Vas- quez de *Benef. cap. 5. §. 4. dub. 6.* quia possessio ad factum duntaxat, l. *Possessio-*

nem 29. ff. de *Acquir. possess.* non ad jus pertinet. At, esto hoc ita sit, speciale tamen mandatum cum Glossa in c. *Si tibi* 48. *absenti* 17. V. *Habuerit de Prab. & dignit.* in 6. exposcunt cit. *Flamin. n. 13.* *Pa- lao p. 32. n. 6.* & *Barbosa in c. cit. n. 14.* quòd possessionis apprehensio accessoria sit acceptationi istiusque perfectio & im- plementum; atque idcirco sequatur na- turam sui principalis sive acceptationis, speciale mandatum exposcentis; cum ta- le in beneficialibus semper requiratur, Steph. Gratian. *Discept. For. cap. 66. n. 35.* Quas DD. Opiniones utcumque conciliaret, qui cum *Barbosa cit. n. 14.* man- datum quidem generale, at non ad quæ- cunque, sed ad beneficialia tantum ne- gotia, sive ad beneficium acceptationem, sufficere, assereret & non exposceret; ut illò in specie ipsa possessionis apprehensio committatur: vel exigeret mandatum spe- ciale, quòd beneficium acceptatio, & suffi- cere negaret generale, quòd negotia in- discriminatim omnia committuntur.

Dubium quintò est, ad quem de Ju- 49. re pertineat institutos mittere in benefi- ciorum possessionem. Dubitandi ratio est; quòd hoc c. *Licet* cit. Episcopo, & con- tra Archidiacono tribuatur c. *Adhuc* cit. quos textus sibi in speciem adversantes in concordiam reducit *Barbosa in c. Adhuc* cit. n. 6. & Episcopo quidem decretum sive sententiam, quà ad patronorum præ- sentationem in beneficiis institutos aut aliter de iis provisum in corporalem pos- sessionem mittendos pronuntiat: Ar- 50. chidiacono verò ejus decreti, per actua- lem inductionem in possessionem, execu- tionem adstruit cum *Covarr. cit. cap. 16. n. 7. ad finem:* vel cum *Flaminio cit. q. 6. n. 32.* missionem in beneficiorum pos- sessionem de Jure quidem ad Archidia- conum, de Consuetudine autem ad Epi- scopum pertinere, ait; cum, consuetu- dine ad-

dine adversus Archidiaconum invalescente, parochorum aliorumque clericorum in beneficiorum suorum possessionem inductione ab Episcopis per vicarios, decanos rurales, & alios commissarios peragi soleat.

51. Dubium sextò est, quomodo Investitura peragatur, & beneficiorum rerumque ad ea pertinentium & annexorum jurium possessio acquiratur. Diversimodè id fit pro locorum & ipsorum etiam beneficiorum diversitate; Episcopi enim per installationem certis solennitatibus investuntur & mittuntur in Episcopatum suorum possessionem; quam Abbates hisque similes Prælati fere per inductionem in Ecclesiam & collocationem in sede Abbatiâ: Canonici alicubi per assignationem loci in choro & capitulo consequuntur. Parochi in pluribus locis Investituram accipiunt diebus festis aut Dominicis: quibus populo ad Divina præsentia publicè propositi, præstitis Fidei & Obedientiæ juramentis, accipiunt insignia spiritualia, peractaque re divinâ in domum parochialem inducuntur claves & rationum libri traduntur, ut ad hanc Rubr. notant Zœsius n. 4. & Engel n. 16. In nonnullis diocesisibus per osculum altaris & similes actus exercitos in Ecclesia: in aliis per apprehensionem vel contactum annuli sive ansæ januæ clausæ parochialium aliorumve beneficiorum possessionem clerici nanciscuntur, apud Gonzalez in c. Ex literis 2. de Consuet. n. 17. ad finem & Corradum Lib. 7. Prax. Benefic. cap. 7. n. 41.

52. His autem modis, an sicut dignitatum & beneficiorum, sic & rerum ad ea pertinentium & annexorum jurium possessio acquiratur, dubitandi ratio est primò; quòd ad eam acquirendam non sufficiat animus, sed factum quoque apprehensionis externum requiratur; cum possessio à *Sedium pedumque* positione sic

appelletur, l. 1. & l. *Quod meo* 3. §. 2. ff. de Acquir. possess. quoad res autem pertinentes ad beneficium & huic annexa jura factum apprehensionis externum planè desideretur. Secundò; quòd, cum rerum ad beneficium pertinentium apprehensione non acquiratur possessio ipsius beneficii, nisi istud quoque aliquò ex relictis modò seu factò apprehendatur, istius etiam apprehensione non acquiratur possessio rerum & jurium illorum, nisi factò aliquò externò istorum quoque apprehensio fiat. Tertio; quòd ipsius beneficii possessione acceptâ rerum juriumque illorum possessio esse possit, & aliquando fit penes alium: quò casu illorum possessio acquiri nequit per actum, quòd ipsius beneficii possessio est comparata; cum unius ejusdemque rei, sicut dominium seu proprietas, sic & possessio in solidum penes duos, justè injustè, simul esse non possit, l. Si ut certo 5. §. fin. ff. Commendati, l. Possideri 3. §. 5. ff. de Acquir. possess. §. l. Duo 19. pr. ff. de Precario.

His tamen non obstantibus, dignitatis vel alterius beneficii possessione relictis & similibus modis apprehensâ, rerum quoque ad illud pertinentium & annexorum jurium possessionem comparari, cum Lambert. Lib. 2. de Jurepatronat. p. 34. 11. art. 9. & Covarr. cit. cap. 16. n. 11. rectè defendunt citr. Flamin. 9. 6. n. 33. Palao p. 32. n. 10. & Corradus cap. 7. n. 37. Ratio est; quia, ad permoleitos circuitus ac discursus per singulas res, ad faciliorem negotiorum expeditionem & acquisitionem possessionis, Jure introductum & generali usu receptum est; ut una re ex tota rerum juriumque universitate, vg. ex feudo, majoratu, Ecclesia vel beneficio Ecclesiastico, apprehensâ vel actu circa eam exercitò, ad eam habente relationem, cæterarum rerum juriumque ad eam pertinentium eive annexorum possi-

rum possessio tradatur & acquiratur; sic enim ex iuris dispositione ab uno in alium transfertur possessio totius prædii, contactu glebæ vel cepitis, *l. Possideri cit. §. 1.* horrei vel domus iisque reconditi frumenti & mercium, traditione clavium, *l. Clavibus 74. ff. de Contrab. empt. rei donatæ vel emptæ oblatione & acceptione instrumenti, l. 1. C. de Donat. & Ecclesiæ vel monasterio totius fundi possessio comparatur partis terræ, extremitate veltis, pallii v.g. receptæ & in Ecclesiæ delatæ, super altare impositione, *6. Ex literis 2. de Consuetud.* Sic Provinciarum consuetudine receptum olim fuit, ut rami aut viridis scirpi ab arbore relecti receptione, contactu ostii vel cardinis, cepitis aut herbæ ex agro evulsione totius Sylvæ, ædium, vel agri possessio Ecclesiis vel monasteriis acquireretur, apud Gonzalez *in c. Ex literis cit. n. 18.* ut mirum non sit; quod collocacione in sede, assignacione loci in choro & capitulo, altaris osculò, contactu annuli januæ & similibus actibus acquiratur possessio dignitatum ac beneficiorum, non solum quoad annexum officium, sed etiam quoad annexa bona juraque: imò etiam quoad beneficia, quæ illis tanquam principalibus per unionem accessorie factam perpetuò incorporata sunt: quod rectè addunt Gonzalez *ad Reg. 8. gloss. §. §. 7. n. 6. & cit. Lotter. q. 4. n. 6.**

Ex his omnino evanescit ratio dubitandi prima; quia possessionem, licet frequenter, non tamen semper sedium pedumve positione, sed aliis quoque signis & actibus circa rem exercitis acquiri, liquet ex dictis, & *in Reg. Possessor 2. in 6. notat Covarruv. p. 2. pr. n. 1.*

Neque majorem vim habet altera; quia beneficium habet se sicut principale: res verò & jura ad id pertinentia ut accessorium; quòd cum principalis naturæ

& condiciones sequatur: non solum naturam & condiciones accessorii sequatur principale, *Reg. Accessorium 42. in 6.* mirum non est, quòd apprehensione beneficii ipsarum etiam rerum juriisque ad id pertinentium possessio acquiratur: licet ejusmodi rerum juriisque unius vel plurium apprehensione possessio beneficii non acquiratur, ut rectè observat Corradus *cap. cit. n. 43.*

Magis urget, Resolutionem tamen non convellit, sed solummodo temperat ac limitat ratio dubitandi postrema; quia apprehensã possessione beneficii ad hoc pertinentium rerum juriisque, non indifferenter omnium, sed vacantium & illorum duntaxat possessio acquiratur, quæ non occupavit aut retinet alius: à quo occupata vel retenta bona juraque Petitoriò vel Recuperandæ Possessorio judicio avocari necesse est; ut eorum quoque possessio acquiratur, Corradus *ibid. num. 45.*

Dubium septimò est, an beneficii possessio aliquando titulum inducat. Et hanc quidem in possessore tituli capace ex illa præsumi; quantòque possessio diuturnior est, tantò fortiores esse justii tituli præsumptionem, & possessionem ex illo ortam præsumi, *arg. c. Querelam 24. de Elect. & l. Minus 2. C. de Acquir. possess. communis sensus est DD. Eadem, si bona fide inchoata & decem aut viginti vel saltem triginta annis continuata sit, spectatò antiquò; novò autem jure, si triennio pacificè obtenta sit, beneficii titulum aliquando induci, & à possessore acquiri, probabilius censui *Lib. 2. tit. 26. n. 113.**

An etiam bonæ fidei & pacificæ possessione annuâ, dubium nascitur ex *Cancel. Apostol. Reg. 32. de Annali possessore: vi cuius is, qui beneficium Ecclesiasticum, ab aliquo per annum immediate præcedentem*

T 2

dentem

dentem pacificè possessum, & quod certò uodò vacare prætendit, deinceps impetrat, imprimis in impetrationis literis exprimere debet Nomen, Gradum scilicet Doctoratus aut Licentiæ, & Nobilitatem possessoris, & quot annis illud possederit: & specificam ac determinatam causam, v.g. defectum ætatis vel incompatibilis beneficii pacificam assecutionem, ex qua possessori nullum ius in beneficio competere, clarè constare possit. Deinde procurare debet; ut beneficii possessor intra sex menses, à datæ impetrationis tempore computandos, citetur & ad iudicium evocetur. Demum, factâ citatione, causam intra annum usque ad sententiam definitivam inclusivè prosequi tenetur. Quæ conditiones si non observentur, beneficii impetratio & quæcunque ex ea secuta nullius sunt firmitatis: & impetrans possessori de ortis exinde damnis & interesse satisfacere tenetur &c.

57. Verùm, ex his annali bonæque fidei & pacifica possessione beneficii titulum aut ius in eo acquiri, cum Rebuffo de Pacifico poss. à n. 206. & aliis, nemine, quod

sciam, dissentiente, meritò negant Azor. p. 2. Instit. Lib. 7. cap. 24. g. 16. & cit. Palao p. 33. n. 3. Ratio est, quia ex Regula cit. beneficii possessor adversus eum, qui beneficium impetravit, se tueri solummodo potest, quando in impetrationis literis possessoris nomen aut qualitas, Gradus literarii vel Nobilitatis, aut specificæ determinata clarâque nullitatis causa non expressa, vel ipse intra sex menses citatus non fuit &c. non autem prohibetur beneficii per annum pacificè possessi impetratio: neque illius possessor annalis defenditur adversus eum, qui beneficium impetravit, & possessori iactæ collationis valorem ius, quæ Regula præscribit, observatis impugnat, allegandò determinatam clarâque causam nullitatis, v.g. defectum ætatis aut aliud canonicum impedimentum, quod à possessore probabiliter fuit ignoratum, & post collationem illi factam primum detectum. Unde perspicuum est, pacificâ & bonæ fidei possessione annali titulum & ius in beneficio non acquiri.



TITVLVS VIII.

De Concessione Præbendæ & Ecclesiæ non vacantis.

SUMMARIUM.

- | | |
|---|---|
| 1. Vacat beneficium, quod à nemine obtinetur, | 4. Vel tantum de Jure; quod per sententiam, |
| 2. Aliquando de Jure simul & de Facto: | 5. Vel ex Juris dispositione sit amissum. |
| 3. Aliquando de Facto tantum, | 6. Canonice conferetur, quod utroque modo, |
| | 7. Vel de Jure tantum: |

8. Nov